

verò eam huic rei nō largiuntur. Ferrariam, Bononiam, Placentiam, Tridentum, Cæsari nominant. Illi Tridentum placet. Sic tandem, dissentientibus tamen Protestantibus, qui nec potestatem indicendi Concilium Papæ concedebant, nec locum probabant, Concilium Tridentinum indicitur. Quid autem in tam bello conventu præstitum, alibi edisferuimus. Et Viri, ad admirationem theologicè solidè docti, Doctoris Martini Chemnitii Examen monstrat.

Articuli Smalcaldici his continentur versibus memorialibus.

Partibus ecce tribus capita hæc Smalcaldica constant:

Prima notat Trini dogmata sancta Dei:

*Altera dat Christi meritum, junctum quoque Missæ
Sanctorum cultum, Cænobia, atque Papam.*

*Tertia, peccatum; Legem; Lapsusque dolorem;
Christi Evangelium; Fluminis acta Sacri.*

Post Cænam; Claves; Confessio; Banna; Ministri.

*Missio; Conjugium. Grexq; pium sequitur,
Justificatio Opusq; bonum; atq; Monastica vota;
Majorum tandem tradita dicta notant.*

LIBRI INTERIM HISTORIA ET SUMMA.

Durante adhuc, interrupto tamen, Concilio Tridentino, Carolus V. Cæsar Theologos quosdam certos ad conscribendum librum quendam, pro conciliandis Pontificiorum cum Lutheranorum Doctrinæ Capitibus, *Interim* dictum, deputavit, eosq; Julium Pflugiū, Episcopum Naumburgicum, medium inter Pontificiorum & Lutheranorum doctrinam, Michaellem Sidonium acerrimum Pontificium, & Johannem Islebiū Agricola, Evangelicum apud Electorem Brandenburgicum constituit. Constitit autem liber iste sequentibus titulis:

I. De Conditione Hominis ante lapsum.

Quem Articulum ita absoluerunt, ut statuerint, Deum i. creasse hominem ad sui Imaginem, quæ fuerit concreata gratia & justitia originalis, seu omnium virium integritas, ac totius naturæ rectitudo.

Zzzzz z

Habuisse